



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Religiosos aptissimos esse, vt Ecclesiæ prosint. Cap. xiivj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

puritatem Dei munere, ac beneficio acquisiuit, que non vnam aliquam facultatem, sed omnes vires anime exornat, & ab omni macula, & forde purificat. Hec enim est, que cogitationes ordinat, affectus mitigat, sensus purgat, verba componit, opera perficit, & totum hominem indumentum spiritualis pulchritudinis induit.

Religiosos aptissimos esse, vt Ecclesie profint.

CAPVT XVIII



QVAM apte, & sapienter scit Dominus sua nobis beneficia detegere, ac opera mirabilia manifestare! Vere Deus scietiarum Dominus est! qui non tantum rerum naturas, verum etiam ordinem nouit, & quid sit prius, quid vero posterius, quid ex quo nascatur, & a quo, tamquam a radice, & principio pendeat, euidenter ostendit. Post mundum muliebrem, hoc est puritatem cordis suis religiosis prerogatum, vberum, & pilorum meminit. Vbera (inquit) tua intumuerunt, & pilus tuus genuit. Quia hæc duo ex ornameto prædicto animæ, ac ex mundicia cordis emanant. Vbera enim illa sunt, quibus in canticis. Quam pulchræ sunt mammæ tue sicut foror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.] Que duplicem compassionem significant. Alteram corporalem, Alteram spiritualem. Has habet anima (inquit Venerabilis Richardus de sancto Victore) quando corporum necessitate laborantibus, compatitur, siue in aliquo peccato, vel tentatione positus, consolationem, & orationem impendit. Hæc vbera habet, quando nouit gaudere cum gaudentibus, & flere cum fletibus, infirmis cum infirmis, vti cum scandalizatis. Pulchræ sunt mammæ illius animæ, quæ omnibus ex affectu comparitur, & nullius dolores sine cordis dolore potest præterire.] Vbera profectò sponsæ dignissima, quia vberibus sponsi simillima. De illis quippe dictum est: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.] Vis scire quam similia? Audi Bernardum. Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & elementer recipit penitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in peccatore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.] Hæc duo suauissima vbera premit spūs amabilis, patetque benignus, vt misericordie lac nobis pusillis exhibeat. Magna ergo est similitudo vberum sponsæ, & spūs, Nam si ille compatitur infirmitatibus nostris, nos ab illo discetes, curamus misereri infirmitatibus alienis si ille fugientes vocat, cunctantes inuitat, tepidissime venientes expectat, accedentes amplectitur, & ne iterum à se discedant, gratia potentia resistit, ita & nos, cum illi similes esse cupimus, omnibus istis subiaccemus affectibus, vt fratres nostros in virtutis regnum traducamus. Merito autem hæc duplex compassio animæ vberibus significata est, quia sicut in feminis vbera sunt adolescentiæ, atque annorum nubilitum indicia, eorumque lacte paruulos alunt, ac nutriunt: ita compassio in anima signum est eam iam infantiam, atque pueritiam spiritualem excessisse, & ad adolescentiam, atque annos nubile peruenisse, in quibus Christo, purissimo nubio iungatur. Et nihil est, quod æquè peccatores alliciat, & ad spirituales matres, hoc est, ad Euangelicos ministros adducat, ac dulcedo animi

1. Reg. 2. 3.

Ezech. 30. 7.

Cant. 4. 10.

Richar. in cant. c. 28.

Cant. 1. 2.

Bern. ser. 9. in cant.

A in ipsis inuenta, & miserorum, ac infelicitum peccatorum suscepta compassio.

Pili verò animæ robor ad sustinendos prædicationis labores, & fortitudinem internam ostendunt. Vnde Elias, vir pilosus esse describitur (vt inquit Hieronymus) in virilitatis argumentum. Quamobrem & habitatio eius in solitudine, & conuersationis austeritas, non solum virum, sed & virum fortissimum demonstrabat.] Et Dominus in Isaia cominatur se rasurum à Iudæa in nouacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam, vt scilicet, nihil in ea forte robustumque resideat: sed effeminatis hominibus timidisque mulieribus comparetur. Et quidem huiusmodi pili non sine causa roboris sunt, ac virtutis indicia. Nam & pilosi homines fortissimi, & inuincibiles esse solent, leues verò timidi, & imbecilles, & inde ad animum similitudinem trahimus, vt cui pili nati sunt, eum animum fortem, & ad sufferendos labores aptum iudicemus. Anima ergo, post mundum muliebrem in religiosa vita comparatum, audit: Vbera tua intumuerunt & pilus tuus genuit, quia compassione & fortitudine, ex cordis puritate nascentibus, exornatur, vt apta sit, & proximis alere, & eorum miseras & infirmitates sustinere.

Cum primum anima vitam religionis aggreditur, se solam inspicit, se ipsam promouere studet, sui solius curam gerit, sola sua peccata luget, affectus cohibet, virtutes inquirat, Deo adherere cupit, sequè ipsam omnium studiosarum actionum labore perficere. Aliorum salutem, aut nihil, aut parum curat, neque proximos ad Dei amorem & cognitionem incitare contendit. Non mirum hoc, quia adhuc paruula est, & nec dum generandis, & educandis filiis idonea. Sicut enim natura infantes ad officium generationis non excitat, quia ad id maneris necdum apti sunt, & omnes vires in eorum augmentum, non in speciem humanæ conseruationem occupat: ita gratia incipientes, & virtute pusillos, ad curam, & profectum aliorum querendum, non permouet, solo ipsorum pusillorum spirituali augmento, & promotione contenta. At postquam anima religiosa ad perfectionem peruenit, vel plusquam mediocriter in virtute profecit, postquam acquisiuit mundum muliebrem puritatis, tunc eius vbera, ea scilicet duplicem compassionis quæ diximus, incipiunt gemmare, atque intumescere, tunc pilus, indicium fortitudinis, incipit germinare, & ultra propriæ perfectionis curam, iam ad laborandum in domo Domini, & ad adiuuandos fratres, vocari se sentit: nec timet, in Deo confisa, proximorum saluti consulere, & oñera animarum suscipere. Iam non dicitur illi per brum: Soror nostra parua, & vbera non habet.] Quia auxiliis diuinis multiplicata, & despectione sæculi grandis effecta, quid ni vbera habeat, suauissimi lactis plena, quo filios per Euangelium genitos valeat educare: iam idonea est, istos suauiter monere, illos duriter increpare: prudentiam habet, vt lapsos erigat, tepidos inflammet, nutantes confirmet, audaces comprimat, bene currentes laudet, & omnibus perfectionis iter ambulantiibus auxilium præbeat. Antea loqui timebat, docere metuebat, aliena vtilitatis sollicitudinem fugiebat, & si illi aliquid proximorum onus committebatur, non sine mœrore clamabat: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum.] Postquam verò vberibus, & signis adolescentiæ pollet, dicit: Væ mihi, quia tacui: & non superbia elata, neque ambitionis desiderio incitata

Hiero. lib. 1. in Ezech. ad c. 35.

Isa. 7. 20.

Cant. 8. 3.

Jerem. 6. 1. Isa. 6. 5.

Iſa. 6. 9.

tata, sed zelo diuini amoris succensa, ait ad Dominum: Ecce ego, mitte me. Audetque imperio Domini, & praelatorum, proficisci, non quod primas cathedras teneat, aut vanas laudes populi aucupetur, aut maiora comoda accipiat (hæc enim sublatæ, & expuit) sed quod magis animabus proficiat.

Sed videamus quam apti religiosi ad iuandas animas ex ipsa animi puritate reddantur. Vbera tua (inquit Dominus) intumuerunt, & pilus tuus germinauit. Pilo, vt diximus, fortitudinem, & vberibus compassionem designans. Duo hæc in ministro Euangelij, ad onus animarum ferendum sufficienti: compassione & misericordia illas quatit, robore & fortitudine sustinet: compassione fouet, fortitudine tuetur. Illa inuitat, hæc allectas in virtute conseruat. Sicut enim natura duas animalibus vires ad sui sustentationem concessit, concupiscibilem, vt necessaria quærerent, & irascibilem, vt quæ sita defenderent, & iniurias sibi illatas propulsarent: ita Dominus his ministris suis similes vires, multò tamen præstantiores, & naturæ facultatem superâtes, attribuit, quibus proximos ad virtutem adducerent, adductosque in virtute continerent. Primò ergo compassionem, & misericordiam animarum habent, ab ipsa puritate cordis exortam. Puritas namque solum Deum amat, & ea, quæ Dei sunt. Deique solius causa in istis amorè collocaat, & si alterius causa in res amore feratur, eo ipso puritas nõ est, quia rerum ipsarum vilitatè fœdatur. Animas igitur Dei imagines, ab ipso vnice dilectas, in quarum gratiam vniuersa, tam cœlestia, tũ terrestria creauit, puritas diligit, illas inquirat, in eas se amore, & cordis tenerrate diffundit. Qui honoris, aut voluptatis, aut diuitiarum cupiditate tenentur, non possunt animas purè quærere, nec vt decet, earum vacare profectibus, quia & harum rerum, quas amant, desiderijs & occupationibus impediuntur, & omnia, quæ faciunt in earum adeptionem, tamquam in finem detorquent. Lacte compassionis suæ opes, & comoditates proprias nutriunt, & in sui ipsorum vilitatem insumunt. Quibus dicit Dominus: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassũ erat, occidebatis; gregem autem meum non pascēbatis. De quibus etiã Gregorius ait. Mens quippe concupiscentiis exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet, & idcirco ad supremum desiderium inflammare auditores suos nequeũt verba, quæ frigido corde proferruntur. Neque enim res, quæ in seipſa non atserit, aliud accendit. At isti, qui ad mundum muliebrem peruenerũt tam puri, tam amore rerum terrenarum expediti, non sibi ipsis, sed solis profectibus animarum inseruiunt. Isti sunt honores, istæ diuitiæ suæ, in hoc suas delicias habent constitutas, vt peccatorem aliquem ex abyſſo iniquitatum extrahant, & Christo lucrifaciant. Hunc laborum atque studiorum sibi finem præſigunt; vt hæc gemmas pretiosas, id est, peccatorũ animas à cœno impietatis purgatas, in sponsi cœlestis repositoario recondant.

Christus autem religiosorum animas tam anidas puritatis, & tam proximorum dilectione flagrantes, ad osculum suum, id est, ad suam familiaritatem admittit: ex qua noua desideria placendi illi, & maiorem ad lucrandas aliorum animas habilitatem accipiunt. Tanta nempe efficacis osculum sanctum est (inquit Bernardus) vt ex ipso mox cum acciperit illud, sponsa concipiat, tumescantibus nimirum vberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Et infra. Habes sponsa, quod petisti, & hoc tibi signum, quia meliora facta sunt vbera tua vino. Hinc te scilicet noueris osculum accepisse, quod te

A conceptisse sentis. Vnde, & vbera tua intumuerunt, facta in vbertate lactis, meliora vino scientiæ secularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate, implens, non nutrens, inflans, non ædificans, ingurgitans, non confortans.

Ex isto osculo Domini, tam succensæ animæ in sponsi dilectione persistunt, vt nihil aliud sciant, nisi illi placere, eiusque explere rectissimam voluntatè. Quam cum in animarum lucris nouerint constitutam, hæc lucra, non oscitanter, & velut aliud agentes, sed grauiter & strenuè nituntur acquirere. Ad quæ ex cura sui ipsarum, atque ex proprijs experimentis admodum efficiuntur idoneæ. Quæ enim peccandi occasiones fugerunt, sciunt optimè alias animas instruere: quo pacto laqueos, & decipulas peccatorum vitare debeant. Quæ proprias passiones vicerunt, & affectus compresserunt, rectè docent has immanes affectuum bestias mansuafacere, & iugo mortificationis domare. Quæ se exercuerunt in palæstra virtutum, aptissimè edicent, quæ ratione sit virtutis arx obtinenda, & cum vitijs fortiter dimicandum. Et quæ in se ipsis, non semel, sed plus quàm millies expertæ sunt imbecillitatem mentis humanæ, sciunt optimè pusillanimis compati, infirmorum misereri, tristes & mærentes consolari, auersos attrahere, & peccatorum nexibus irretitos benignè & amicabiliter soluere, ac paulatim, & veluti per partes, tantis vinculis, & compedibus expedire. Aded vt isti à vitis spiritualibus in bonam frugem reuocati, possint iure dicere: Non habuimus pastores, qui non possint compati infirmitatibus nostris, tentati autem per omnia, vt in se prius didicerint, quatum doleat assueta relinquere, & quo pacto deberet vulnera nostra curare. Hæc enim scientia medendi animabus, non in libris, sed in proprio corde perdiscitur. Vnde, qui nunquam in proprium cor est ingressus, neque suos affectus composuit, minime sciet corda aliorum ordinare. Et sæpe illud dictum Saluatoris in seipso videbit completum: Si cæcus cæco ducatum præbet, nõne ambo in foveam cadunt? Anima ergo religiosa, quæ exercitijs religionis suam prius puritatem quæsiuit, habet vbera, non arida: sed suauissimi lactis plena, quod possit proximos lactare, & vt filios Christi decet, educare.

Ex hac etiam animi puritate manat robur, & fortitudo curandis animabus, valde necessaria, quam etiam in veris & spiritualibus religiosis esse, certa notitia comperimus. Aded, vt meritò cuique illorum dicatur: Non solum vbera tua intumuerunt, sed etiam pilus tuus germinauit. Habent isti sanctam quamdam libertatem, ac prudentem audaciam ad dicendum, quod expedit: licet principes, aut nobiles ægre ferant: quia neque honores aucupant, quos conculcarunt, nec diuitias, quas reliquerunt. Non sunt ex illis magistris, quos Paulus vocat, prurientes auribus, Non ex illis prophetis, qui decipiebant Achab, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus in manus regis: cum tamen Dominus contrarium disposuisset, & id nunquam fuisset eloquutus. Sed cum in se ipsis veritatem ament, sine vilo timore alijs etiam veritatem annunciant, & quia in hoc mundo honorem laudis non quærunt, nec contumelias decrecationis sentiunt. Habent, & animum intrepidam ad increpandum, quibus illud Zachariæ optimè conuenit, Dominus exercituum proteget eos, & deuorabunt, & lubeant lapidibus fundæ, & bibentes inebriabuntur, quasi a vino, & replebuntur, vt phialæ, & quasi cornua altaris. Quia enim vident se à diuina manu protectos, audent seculariũ peccata amaris

Ezech.
34. 3.
Gregor. 8.
mor. c. 20.Bernard.
ser. 9. in
cant.Matth. 15.
14.Tim.
4. 3.
3. Reg.
10. 1. 12.Zacharie
9. 15.

inreparationibus reprehendere, & impios, verbis sacrae Scripturae, tamquam lapidibus fundae percute- ro: zelo autem iustitiae inebriati, & quasi phialae sacrificiorum & quasi cornua altaris sanguine, id est, sancta indignatione repleti, peccatores efficaci ser- monis terrerent, & Domino, cui rebelles extiterant, in- genti multorum admiratione subiiciunt. Ille qui- dem Elias, qui in veteri lege formam religiosorum praetulit, pro miraculo habitus est, quia impium Achab regem Israel hac liberrima oratione corri- puit. Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui reliquistis mandata Domini, & sequuti estis Baalim.] Sed quantos similes Elias, homines pilo- sos, id est, fortes, & inuictos, religiones sanctae pro- tulerunt, qui cum nihil mundanum timeant, & nul- lum temporale emolumentum ex mundanis, aut que- rant, aut sperent, libere os aperiant, non solum, ut spiritum attrahant, sed etiam, ut quo attraxerunt spiritu, quo secum, siue nobiles, vel ignobiles, siue principes, siue subiectos, audacibus verbis repre- hendant.

1. Reg. 18. 18.

Iob. 17. 3.

Luca 10. 4. Ambr. lib. 7. in Luca. cam.

Richard. in cant. c. 21.

Habent tandem vires ac nequos ad eos labores sustinendos, qui in hac quaestiosa animarum nego- tiatione passim occurrunt. Qui enim internam me- tis munditiam sunt adepti, sine labore: sed solo intel- lectu, & affectu, atque vitae similitudine, Christo iunguntur, a quo fortitudinem, & animum inui- ctum ad resistendum accipiunt. Hac enim comun- tione patiens Iob, terribilibus etiam inimicis in- sultat, dicens: Pone me, Domine, iuxta te, & cuius- vis manus pugnet contra me.] Sunt etiam rebus ter- renis, & saeculi curis exonerati, atque adeo multo facilius proximorum onera portant, quam alij; qui propriis opibus, & honoribus, ac deliciis onusti, vix isto iugo durissimo portando sufficiunt. Dominus enim Evangelij ministris praecipit; ne portarent sac- culum, neque peram, neque calceamenta; id est, (ut exponit Ambrosius) ne possiderent aurum, neque argentum, neque rerum mortalium affectibus sub- iacerent, quia his possent a ministerio sibi commisso praepediri.] Qui ergo haec impedimenta molestissi- ma abiecerunt, idonei sunt, vasa Domini, id est, proximorum animas, more Levitarum deferre, & in caeleste tabernaculum portare. Tandem assiduo rerum spiritualium usu didicerunt sibi ipsis non fi- dere, quia haec doctrina spiritus in schola propria diffidentiam perdidicertur. Istos autem de se non praesum- mentes propriamque vilitatem agnoscentes, con- fortat Deus, ut res magnas, & vires hominis ex- cedentes efficiant. Vnde Richardus Victorinus ait; Ita que infirmitatem suam cognoscentibus, & per hoc se humiliantibus, & in se non confidentibus, robur praebet Christus, ut carnaliter esse fortes desinant, & spiritualiter conualescant. Ita dum de se desperant, & in Christo sperant, mutant fortitudinem, & assu- munt pennas, ut aquilae, atque volant. Si ergo, o ani- ma, ad mundum muliebrem sponsae Christi, id est, ad cordis munditiam per statum religiosum peruenisti, non dubites tibi dictum esse: Vera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit.] Quoniae gemina fratris compassione adornata, & fortitudine roborata, iam apta effecta es, ut Christi paruulos nutrias, & eorum mole- stias, imbecillitatesque sustentes. Hoc autem ma- nifeste religiosa vita subministrat, quae disciplina animi puritatem attulit; diuinarum Scriptura- rum studio scientiam attribuit; & assiduo labore vires ad perseverandum comparauit.

* * *

A Religiosos non solum aliis prodesse, verum etiam in seipsis aliorum fratrum in- spectione proficere.

CAPVT XIX.



Vt profectibus animarum inseruiunt, & in fratrum salutem incumbunt, illud semper timere debet, ne dum aliis per doctrinae ministerium profunt, sibi ipsis per superbiam officiant. Tam pestilens enim est tinea superbiae, ut praestantissimis operibus virtutis se ingerat, & inde homo soleat intumescere, vnde debuerat humilitate proficere. Quamvis autem omnia virtutis opera hoc possint subire super- biae discrimen, sed illa praecipue huic patent periculo, quibus proximos nostros iuuamus, & in iter sa- lutis adducimus. Quia cum altiora, & illustriora sint, proclivius est Diabolo ex illis occasionem elationis in nobis captare, & in alto positos, maiori casu, & ruina proterere. Ideo Dominus in discipulis suis missis ad praedicandum, huic malo superbiae primum occurrit: Gaudentibus namque illis, quia demones subiicerentur ipsis, Dominus ita respondit; Videbam Satanam quasi fulgur de caelo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc, nolite gaudere,

Luca 10. 18.

quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.] Et ab hoc malo superbiae sancta religio abunde nos liberat, exem- pla nobis sanctorum obiciens, quibus semper profi- ciamus spiritu, & in humilitate, & contemptu nostri crescimus. Hoc autem bonum ingenis illud quidem, ad suscipiendum Dominum per sanctum prophetam sequenti oratione declarat, dicens: Et eras nuda, & confusione plena.] Quae verba aliis iam explicatis subiecta, non minimam dubitationem ingerunt. Si enim anima mundum muliebrem adepta est, quo- modo nuda est? si verberibus compassione, & pilis fortitudinis exornata, quomodo confusione plena? Quam ob causam ei ignominiam & confusionem adscribit, quae iam viuit, quae iam multiplicata est, & grandis effecta, & quae in cubiculo magni regis ingressa, ornamentum puritatis comparauit: An potest simul esse nuda, & vestita? Ignominia cooperta, & sanctitatis honoribus compta, & polita?

Exech. 16. 7.

Hae verba, quae prima fronte malum praese- ferunt, vnum ex ingentibus bonis status religiosi desi- gnant. Illud autem est, quod diximus, bonum hu- militatis atque modestiae, quod homo verissime ac- quirat, cum inter illos viuit, quos caute viuere, & se meliores & sanctiores esse cognoscit. Quemad- modum enim Israelitae, homines quidem statura pro- ceteri, viribus robusti, & ad bella expeditissimi, assiduis laboribus, & consuetudine praeliandi, seipsos cum habitatoribus terrae promissae conferentes, de- spiciunt, atque contemnunt: Vidimus (inquiunt) monstra quaedam filiorum Enac, de genere Gigan- teo, quibus comparati, quasi locustae videbamur.] (Et utinam haec aspersionis sui, non ad pusillanimita- tem, & ignauiam, sed ad spem in Domino collocan- tam contulisset, quia sic euasissent suis hostibus for- tiores.) Sic homo, quamuis omni virtutum genere indutus, & sanctorum operum opibus decoratus, se melioribus comparans, virtutesque suas cum illo- rum virtutibus metiens, vniuersa, quae habet, mi- nota reputat, seque ipsum verissime minorem agno- scit. Quae cognitio propriae vilitatis, cum non timi-

Num. 13. 34.

ditati